



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Philomathi Mvsae Ivveniles**

**Alexander <VII., Papst>**

**Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645**

Actvs Tertivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12750**

## ACTVS TERTIVS.

THEOPHANES.

Ostendit, spem vultu tantum simulare Pompeium;  
 at altum premere interim corde dolorem. Ipse  
 tamen Regis Ptolemæi, in auxilio afferendo, fi-  
 dem scrutari cupit.

**I**Ctum miseria quod semel cecidit gravi,  
*Vt semper omni pectus oppressum malo*  
*Iacet! ut secundis pavitat in rebus quoque,*  
*Nec unquam ad ipsa latus exsurgit bona,*  
*Quicumque fatis fuit in adversis miser!*  
*Nimbosa ceu cum sœviit ventis hyems,*  
*Horrensque multa nive sibi resolvit comas,*  
*Ver pristina tamen signa glaciei tenet,*  
*Rigetque, quamquam ætheria sol Tauri premit*  
*Terga, & serenus luce transcurrat dies.*  
*Fortuna felix redeat, afflitos tamen*  
*Gaudere piget, & rebus haud unquam datur*  
*Sperare letis. Læta cui desint, eum*  
*Angit cupiditas, invidia, luctus, dolor:*  
*Cui sint, pavores mille sollicitum tenent,*  
*Ne fors rapaci repetat instabilis manu.*  
*Visque adeo felix nullus in terris viget;*  
*Et fausta sint, infestave, ex æquo mala.*  
*At quid peracti temporis fatum queror*  
*Commune cunctis? decuit hæc semper ducem*

Sors

Sors ægra Magnum, fronte dum ficta, palam  
 Verax, lateret mentis attonitæ pavor.  
 Conqueritur, hæret, metuit, horrescit, furit,  
 Silet repente, & ora purpureus notat  
 Rubor; inde pallor omnis in vultu redit;  
 Omnis recursat, nullus insistit color.  
 Heu, quo malorum pondus hoc dirum irruet!  
 Formidat hostes; hospitem metuit magis,  
 Dolos ubique prævidet, reputat fidem  
 Speciem esse fraudis, seque vix credit sibi;  
 Adeo pererrat; quodque in extremis solet  
 Adesse fatis, omne consilium perit.  
 Sed ipse, rebus qui unus auxilium potest  
 Afferre lassis, hospes Iiacus brevi  
 Aderit, suas & forsan adjungens opes.  
 Sic saepe præsens casus oppressos monet  
 Meliora, quam ratio ferat. Victis salutis  
 Est una, nullam noscere salutem; loco  
 Cum quid supremo pendet, hoc unum scias;  
 Si nil potes sperare, desperes nihil.  
 Socias revisens interim classes, novi  
 Quodcumque maneat aure per vigili bibam;  
 Quid Cæsar audeat, quid hospitio favens  
 Puer, an propinquet agmen, an segnis dolos  
 Ancepsque tegat. eventus ingenium reget.